

subicitque: *Ita et viri debent diligere uxores suas.* Idem I. Cor. XIV. præcipit mulieribus, ut: *Si quid discere volunt, domi viros suos interrogent. Ubi notandum, inquit Primasius, quod et viri tam docti debeant esse, ut uxores suas docere debeant et de fidei veritate instruere.* Nimirum quæ vel in concione audiverunt (cui sæpius interesse possunt, quam uxores, domesticis negotiis communiter impeditæ) vel aliunde sciunt, uxoribus communicare et exponere non graventur. Exemplum vel a gallis gallinaceis capiant, qui ubi granum aliquando reppererunt, mox convocant gallinas et distribuunt illis. Hoc est, quod docet S. Chrys. hom. V. in ep. ad Thess. cum ad virum loquens ait: « In spiritualibus uxori manum porrige. Quæ audiris utilia ea non secus atque hirundines ore portans; affer et pone in ore matris et patris. Quomodo enim non est absurdum, ut in aliis quidem primas velle obtinere et locum tenere capitis, in doctrina autem ordinem deserere, etc. » Quod si vero docendo instruere eas nequeant, bono saltem exemplo illis præire conentur. *Existimare namque debet uxor, inquit Arist. in æconomicis, mores viri esse legem et formam suæ vitæ impositam sibi a Deo.* Exemplo est uxor Phocionis civis Atheniensis, quæ cum ei altera quædam mulier valde nobilis suos torques et mundum muliebrem ostentasset, uti solent feminae, respondit: *Mihi vero mundus muliebris est Phocion;* vir scilicet modestissimus in victu et vestitu, Plut. in vita Phoc. Eo spectat illud S. Hier. ad Celantiam: *Caput mulieris est vir, ne aliunde reliquum corpus magis ornatur, quam ex capitis dignitate.* Denique quales viri sunt mores, tales sunt communiter et uxoris. Unde recte ab Ecclesiast. c. XXXVI. vocatur *adjutorium secundum vitam, q. d. qualis maritus, talis est et uxor.* Possint vicissim etiam uxores suo modo instruere et sanctificare maritos suos, consilio, precibus, exemplo. Fecere id S. Monica, quæ Patritium maritum, austerum et quasi leonem sua mansuetudine mutavit in agnum: S. Cæcilia fidem docuit Valerianum sponsum suum: S. Natalia Hadrianum maritum animavit ad martyrium et in eo tolerando confortavit: S. Martha Marium, Theodelinda Agilulphum Lombardorum regem: Clotildis Clodovæum Francorum regem: Flavia Domitilla Flavium Clementem, viros suos reduxere ad fidem. Nam ut ait S. Chrys. hom. LX. in Joan. « Nihil potentius est muliere bona ad instruendum et informandum virum quæcumque voluerit: neque tam leviter amicos neque magistros, neque principes patietur ut conjugem admonentem, atque consulentem. Habet enim voluptatem quamdam admo-

nitio uxoris, cum plurimum ametur, quod consulit. » Possunt et mulieres sæpe bona et sana consilia suggerere maritis; quemadmodum suggestit Henrico II. Franciæ in hastiludio et torneamento decertanti regina, monens ne post prioris diei victoriam obtentam rursus se periculo certamini ingereret, contentus priori laude. Verum quia rex eam non audit, sed respondit: *Adhuc semel et non amplius;* plane contra seipsum prophetice, altero congressu confractæ hostilis lanceæ cuspis in oculum ejus illata est, ex quo post dies undecim interiit, Bellefort. in Henri. II. Hanc fors an ob causam Ps. CXXVII. viti adhærenti domui comparatur uxor, quæ adhæret viro: *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Ut enim vitis profert vinum, quod acuit ingenium, temperanter tamen haustum: ita uxores moderate bona sæpe dant consilia. A quo non abludit S. Amb. in Ps. *Quid est vitis nisi sapientia?* inquit: *Sicut apparuit nobis David, cælestis interpretis oraculi dicens: Uxor tua vitis abundans in lateribus domus tuæ; non ergo semper spernenda sunt uxorum consilia, sed audienda saltem et ab uxoribus suggerenda: Unde enim scis mulier si virum salvum facies?* ait apost. I. Cor. VII. Ita salvum fecit S. Birgitta virum suum Ulsonem principem Nericiæ, cum hebdomadariam ei confessionem aliaque pia opera persuasit, ut tandem religioni se traderet. Ita Placilla Augusta Theodosium seniore imperatorem erudit, cum sæpius ei ingereret: « Semper te mi vir, oportet cogitare, qui olim fueris et qui jam sis, si hæc animo cogites, non te ingratum ostendes erga patronum, sed imperium, quod suscepisti, juste gubernabis atque eo rite administrando, eum, qui ipsum donaverit, sancte coles. » Ita Theodoret. l. V. c. XVIII.

III. Christus ita amavit Ecclesiam, ut vitam pro ea daret. Sic cit. loc. apost. *Christus dilexit Ecclesiam et tradidit semetipsum pro ea.* Ergo maritus etiam in hoc Christum imitetur; vitam, si conjux periclitetur, exponat pro ea. Ita concludit S. Chrys. hom. de laude Maximini: *Quomodo Christus dilexit Ecclesiam? Ita ut semetipsum pro illa traderet. Itaque si mori pro uxore oporteat, nequaquam tergiversaberis. Nam si Dominus servam ita dilexit, ut semetipsum pro ea traderet, multo magis conservam oportet sic diligi.* Virum se in hoc præstitit Jacob patriarcha, qui cum non sine metu obviaret fratri suo Esau, divisit familiam suam, disposuitque in ordinem quasi militarem, et ipse ante uxores et liberos progressus (uti vox Hebræa notat) primus se fratris furoris, quem metuebat, objecit, ut uxoribus et liberis fugiendi moram præberet, Gen. XXXIII. Ita ex-

ponit S. Chrys. hom. XXXIII. in ep. ad Cor. « Velut propugnaeculum enim quoddam, inquit, seipsum ante cæteros locans, paratus erat ferum illum, et minas, quemadmodum suspicabatur, spirantem, excipere primus, et suo ipsius corpore parare uxoribus salutem; et quem domi timebat, intueri primus in acie studet. » Hujusmodi etiam amor erga uxorem celebratur a Xenophonte in Tigrane, Armeniæ rege, qui una cum consorte captus a Cyro Persarum rege et mensæ regiæ adhibitus atque interrogatus, quo lytro vellet conjugem redimere, respondit illico: *Vitam meam pro ea libenter dabo.* Quod gentilis hic homo fecit, cur erubescat facere Christianus? Si enim S. Joannes, ep. 1. cap. III. *Et nos, ait, debemus pro fratribus animas ponere, quanto magis maritus pro uxore?* Huic enim magis adhærere jubetur quam ipsi patri et matri. Cæterum et uxores hoc idem sibi dictum putent; non enim tenentur amare viros suos minus, quam cupiunt ab ipsis diligi. Et certe in hoc genere videntur magis strenuæ suismet viris fuisse; quod varia exempla docent. Unum assero Sanctiæ, comitis Castellæ uxoris, quæ capto et incarcerato marito Legionensium rege, eo perrexit, ubi conjux ejus captivus tenebatur, impetrataque licentia cum eo loquendi, virum vestibus suis indutum dimisit: ipsa virili mariti veste cooperta custodes delusit et in carcere remansit, mortem absque dubio libenter appetitura, si sors ita tulisset. Verum eo cognito a rege laudata et incolumis dimissa est, Vasæo avit. in chron. Hispan. ad annum 932. Pari amore Tyrrenæ mulieres maritos suos a Lacædemoniis captos, cum quasi consolandi causa adiiissent, commutatis vestibus e carcere dimiserunt, obvolutis eorum capitibus, ut solebant, et ipsorum loco in custodia remanserunt, uti refert in lib. de fem. christ. Lud. Vives. Quare nunc o novi conjuges, aspiciate vos invicem et videte originem vestram. Nonne tu sponse e terra, tu vero sponsa e latere viri prognata es? Ita est; sed insuper dico, vos ambos e latere Christi prodiisse, ut connubium vestrum esset sacramentum Dei gratia firmatum. Ad hunc ergo aspiciate, huic vos conformate, ut in amore mutuo perenniter vivatis. Cur enim putatis e latere Adami dormientis nos, vigilantis, Evam; et rursum e latere Christi, itidem mortis somno jam sopiti Ecclesiam, ejus sponsam efformatam? Respondeat S. Ambros. epist. LXXXII. *Non est digna conjugio, ait, quæ est digna jurgio.* Imo ne hoc esset inter conjuges aliquando, de latere dormientis potius, quam vigilantis ablata est: ne cum aliquo doloris sensu auferretur, ex quo

postea rixarum occasiones inter conjuges nascerentur. Itaque jam omnis contentionis materia subtracta vobis est. Nihil doloris sensit Adam cum ablata est ei costa et in conjugem efficta: nihil sensit Christus, cum ex ejus latere producta est Ecclesia. Ecce ergo sponse litigabis cum sponsa, quæ absque omni doloris sensu ex te formata, et tibi est donata? Et cur tu sponsa, cum sponso, quæ omnī quæ habes, a sponso tuo habes? Pax igitur vobis, et diligite vos invicem, sicut Christus diligit Ecclesiam suam et vicissim Ecclesia Christum.

## CONCIO X.

CONJUGES CHRISTIANI SINT DUO JUGALES BOVES, EX ANTIQVO GERMANORUM DONO NUPTIALI.

Cornelius Tacitus de moribus Germanorum, l. I. scribit, antiquitus apud Germanos novis nuptis offerri solitum fuisse par boum, jugo alligatum, quo nimirum intelligerent sponsus ac sponsa jugum matrimonii sibi impositum ac ferendum esse in eo statu, quale est et boum. Non male profecto; nam et Latini conjugii vocabulum a jugo deduxerunt, quod mas et femina in nuptiis ita copulenter sicut duo boves ad jugum alligantur, ut currum aut aratrum trahant. Etsi D. Hieronymo, lib. I. contra Jovinian. scribenti credimus, de hoc jugo, matrimonii scilicet, locutus est apost. II. Cor. VI. cum ait: *Nolite jugum ducere cum infidelibus, h. e. matrimonium contrahere cum illis.* Cum igitur moris adhuc sit, honorarium aliquod aut munus sponsis offerre, ego vobis offero hujusmodi par boum, mystice expositum, ut felix faustumque fiat vestrum conjugium.

1. Boves conjugati discedere ab invicem nequeunt, quamdiu colligati sunt: ita et vos conjuges, imo multo magis, quia boves suo tempore a jugo solvuntur et liberi dimittuntur: vos autem non solvemini donec alter e vobis cadat in sepulcrum. Hinc apost. I. Cor. VII. omnem liberationis spem vobis præscindit, cum ait: *Præcipio non ego, sed Dominus uxorem a viro non discedere: quod si discesserit innuptam manere, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Et post: *Alligatus es uxori? Noli quarere solutionem, q. d. actum est, frustra laboras.* Dictum illud Pauli expendens S. Chrys. I. de virginit. c. XLI. ita scribit: « Quemadmodum servi fugitivi separatim vincti a suis dominis rursusque tenui quadam catena inter se constricti univertui, quod compedibus catenæ utrinque affixis,

alius alium sequi cogitur, liberam non habent abeundi facultatem : sic conjugum animæ, cum propriam sui curam sustinent, tum altera etiam premuntur necessitate, a communibus conjugii vinculis imposita, etc. » Cæterum servus aliquis poterit jugum excutere, seu fuga, seu persoluto lytro, seu domini liberalitate : maritus vero et uxor nunquam exsolvi possunt, donec alter morte succumbat, quamvis difficillimum jugum ferant. Neque vero in solum conjuncti sunt, ut ab invicem discedere nequeant, sed etiam ut ne cogitare quidem cum assensu de alio viro aut muliere sibi jungenda liceat ; quo modo, Job suo alligatus jugo dixit c. XXI. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitem quidem de virgine, q. d. multo minus de conjugata. Ergo sicut boni et justitiæ amantes rustici bobus suis, cum transeunt per segetes, etiam loris ora constringunt, (eujusmodi unus celebratur apud Cassianum, collat. XIV. c. VII.) ita vinculum matrimonii adeo ligat conjuges, ut nec os nec cor ad alienum marem aut feminam possint extendere.*

II. Boves colligati simul pergere coguntur sive per amœnum pratium, sive per aquam aut lucanam, sive onus aliquod trahant, sive ab onere liberi sint : ita quoque conjuges in prosperis et adversis sibi adesse debent, et simul devorare quidquid illis contingat. Unde S. Hier. ad Lætiam scribens ait : *Qui sub jugo est, ita debet currere, ne in tuto comitem derelinquat.* Denuntiarunt hoc novis nuptis etiam gentiles Romani dum præferri ignem et aquam, necnon ab eis tangi jusserunt. Causam dat Plutar. in quæst. Rom. q. 4. quia cum capitalis Romanorum civium pœna esset interdictio ignis et aquæ seu exilii (aqua enim et igne destituti migrare compelluntur) significare conjugibus voluerunt, ne alter alterum desereret, sed in societate qualiscumque fortunæ cum eo persisteret, etiam ita rebus ferentibus, ut aqua et igne prohiberentur, adeoque in exilium pellerentur. « Hoc vere est conjugium, (inquit S. Chrys. hom. XXXII. in Gen.) quoniam non solum in prosperitate, sed in periculis simul obambulant. Hoc germanæ charitatis indicium est. Hoc signo certissime internoscitur amicitia. Non sic diadema in capite positum regem præclarum ornat, ac obedientia illa, quæ consilio justis paruit, beatam et illustrem et claram demonstravit. » Loquitur autem de Sara, quæ per varias peregrinationes et adversos casus secuta est Abrahamum suum. Quod idem Rebecca Isaaco, tametsi a Palæstina sæpius expulso, præstitit. Idem videre est in B. Josepho et Deipara, qui tam in fuga Ægyptiaca, quam in

itinere Bethlehemitico et aliis fidelissime sibi invicem adstiterunt.

III. Boves illi mutuo se juvare in trahendo solent, ita ut suam quisque spartam et laborem conferat, quod curru provehatur ; alioquin uno promovente, altero vero quiescente, curru non pergeret. Ita quoque conjuges mutuo auxilio rem familiarem administrent, conservent et augeant, alioquin absque dubio brevi perituram sciant. Meminerint dictum esse a Deo : *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Ubi Procopius : *Auxiliatricem, inquit, eorum omnium quæ ad vitam humanam spectant.* Igitur mutuo se juvent necesse est. Cum enim domi forisque sint negotia conjugibus peragenda, unus ad hæc utraque minime sufficiet : quare vir externa et graviora peragat : ad hoc enim barbam ad ferenda frigora, et majores corporis vires accepit, uxor velut imberbis, inter et domestica curet. Sit vir luminare majus, mulier luminare minus. Tale per conjugum sapientum laudatur Prov. XXXI. ubi de viro dicitur : *Nobilis in portis (h. tribunalibus) vir ejus quando sederit cum senatoribus terræ.* De uxore vero : *Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit.* Fabulantur quemdam rusticum, cum par boum educeret ad agrum singulis fasciculum fœni ad cornua alligasse, ut in prandio se saturarent. Cæterum unus impatiens laboris, exussit suum fasciculum cum expostulatione : *Hocine fœniculum satiabit stomachos nostros ? Paulo post adfuit tempus prandii, et alter quidem bos se pavit suo fœno, hic autem abstinere coactus fuit, quia pabulum suum sibi afferre noluit. Quapropter o novi conjuges, ambo cibum parare, si frui illo cupitis, aut alter jejuset, qui laborare detrectarit.*

IV. Juncti boves mutua onera ferunt : uno cadente, alter juxta illum gradum sistit : uno procumbente et jugum ad terram secum trahente, alter inclinat caput, aut simul cum ipso accubat. Pari ratione conjugum alter alterius vitia, infirmitatem et defectus cum patientia supportet. Ita enim monet apost. ad Eph. IV. omnes Christianos, quanto magis conjuges ? *Cum patientia supportantes invicem.* Et ad Gal. VI. *Alter alterius onera portate.* In quæ verba S. Chrys. hom. XXVI. in I. Cor. ait : *Quod si invicem onera ferenda sunt multo magis uxoris.* Certe etiam in curru illo, quem vidit Ezechiel, c. I. homo junctus cum leone, et aquila juncta cum bove trahere jugum visa sunt, et tamen pari passu incedebant summa eum concordia. Sustinere ibi homo leonis truncum vultum ac rugitum debuit : aquila similiter bovis tarditati suam at-

temperare pernicitatem. Cur non et uxor viri asperitatem atque iracundiam, vir uxoris debilitatem, ac tarditatem tolerare queat ? Aliud simile D. Basil. hom. VII. hexam. conjugibus proponit : « *Vipera, inquit, genus serpentum omnium exitiosissimum murenæ nuptias expelit, et sibilo suam significat præsentiam, eamque exurgite vasto invitat ad nuptiales complexus : illa autem obtemperat et coit cum venenato. Quid hæc mea ratio vult ? Quid portendit ? Sive asper est cujuscumque conjux, sive ferus moribus, perferat illum uxor necesse est, neque ullam propra ob causam societatem illius dissolvere patiatur. Feritne, verberat, estque percussor ? At vir tamen est tuus. Temulentus est ? At tibi natura est conjunctus. Durasne, morosus et implacidus ? At membrum jam tuum est, et membrorum jam præstantissimum : audiatque ipse vir accomodatam seque decentem admonitionem. Vipera virus ob nuptiarum venerationem evomit, tu duritiam, tu feritatem ob unius reverentiam non deponis. » Sic ille.*

Cæterum ut hæc quæ diximus, conjuges obtineant, multum imprimis juvat, si pares cum paribus quantum fieri potest, conjungantur. Disparitas enim fortunæ, ætatis, opum, generis, etc. discordiarum et quæ inde nascuntur, miseriarum sementis est. Certo boves ordinarie uni jugo sociantur, qui et robore et colore pares sunt, inde enim putantur magis se amare, et libentius jugum ferre. Scribit S. Ephrem in testamento suo, se vidisse, aliquando bovem lacrymas fundentem, cum ejus compar extinctus ab ipso extractus fuit : *Non arabis in bove simul et asino, quia et corpore et viribus valde impares sunt.* Similiter ut arbor una per insitionem alteram adoptet, excipiat, aliqualis similitudo necessaria est, ut quæ os vel nucem habent, iis tantum inserantur, quæ similiter osse vel nucem præditæ sunt. Idem in conjugis observari expedit : sic enim in unum cor et animam facile coalescent.

Denique, ut hi boves suavius jugum trahant, observent quod scribit Plin. l. XVIII. c. XIX. *Arauros boves quam arctissime jungi oportet, ut capitibus sublatis arant : sic enim minus colla contendunt.* Hunc in modum conjuges arctissimo amoris vinculo sese adstringant, et capita in altum ad Deum scilicet erigant, solius Dei honorem et gloriam, non temporalia commoda quærant : propter ipsum in prole glorificandum, et cælum replendum grave istud jugum velut a Deo sibi impositum trahant, dicantque cum Tobia juniore : *Tu Domine scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis*

electione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum, Tob. VIII.

## CONCIO XI.

CONJUGII PERICULIS QUOMODO OCCURRENDUM,  
FILO ARIADNÆ

Antiquorum seu historia seu fabula est Theuseum Atheniensem juvenem ab Atheniensibus Cretam in labyrinthum missum, ut ibi Minotaurum, monstruosum bovem occideret, aut in labyrintho periret, accepisse ab Ariadna filia Minois, Crete regis, filium, cujus ductu e labyrintho post occisum Minotaurum evasit incolumis. Dum vos, o novi conjuges, statum matrimonii ingredienti intueor, videmini mihi, simile aliquid aggredi ac moliri. In labyrinthum enim, hortum speciosum, variis tamen mæandris perplexum et periculis circumseptum, ubi plures Minotauri vobis occurrent jugulandi, aut jugulantes, primum pedem ponitis. Certe in hoc conclusum se agnovit ille, qui vocatus ad cœnam magnam, respondit absolute : *Uxorem duxi, et ideo non possum venire ;* quasi impossibile sit extricare se ex labyrintho hoc, ut veniat quis ad tam magnam licet cœnam. Quare ne quid damni in hoc horto patiamini, visum mihi est, præbendum vobis esse filium aliquod, cujus beneficio emergere possitis. Cæterum opus est, ut pericula illa prius agnoscatis, quo evitare et impolluto calle pertransire valeatis.

Primum est in edomanda carne, quæ etiam in legitimo matrimonio Minotaurum agit, et vulnera infligit. *Potest namque aliquis tam ex proprio vini dolio, quam ex alieno inebriari, ut dicebat Fr. Ægidius S. Francisci socius.* Certum etiam est facilius multo esse ab alienis abstinere, quam suis moderate uti. In his enim persuademus nobis omnia licere, v. g. dicit aliquis : *Cur non possim inebriari, cum bibam non ex tuo, sed ex meo vino ? Sed fallit ista persuasio ;* ut vel ethnicus ille philosophus Xystus intellexerit, cum dixit : *Adulter est in suam uxorem omnis impudicus amator ardentior.* Quam ob causam pudica quædam matrona apud Euseb. l. IV. trist. c. XVI. separationem a viro impudici et bestialis thoro, postulavit et impetravit ; quia is consuetudine uxoris abutebatur. Atque ut concedamus abusum hunc abesse, remanet adhuc difficultas serviendi Deo et fruendi bonis spiritualibus. Qui enim operam dant corporis voluptatibus, quomodo possunt affici Deo et rebus divinis. Voluptates enim spirituales, quæ animum erigunt ad

eclestia, contraria sunt carnalibus, quæ animum deprimunt, atque effeminant. *Caro enim concupiscit adversus spiritum*, inquit apost. ad Gal. V. cui adstipulatur Philo, in I. sacrif. ab. et cam. cum ait duas esse hominis uxores, virtutem et voluptatem. Qui virtutem duxit, is ad cœlestem cœnam properat: qui vero voluptatem, is a cœna retrahitur et dicit: *Uxorem duxi, et ideo non possum venire*, quia voluptati deborem renuntiare. Denique sicut Tobias junior moras traxit causa nuptiarum, quominus properaret ad paternam domum regredi, Tob. X. sic conjugio juncti retineri solent causa conjugii, ne ad cœlestem patriam celeri et expedito gressu pergant.

Sed quid hic consilii? Quo filo emergunt conjuges ex hoc labyrintho? Qua ratione duobus hisce dominis, sibi adversantibus serviendum est? Filium suppeditat apost. I. Cor. VII. cum ait: *Reliquum est, ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint*. Id explicat D. Greg. III. p. pastoral. c. XXVIII. *Uxorem*, inquit, *quasi non habens habet, qui sic per illam carnali consolatione utitur, ut tamen nunquam ad prava opera a melioris intentionis rectitudine ejus amore inflectatur*. Recta igitur imprimis intentio operi conjugali præfigenda est, ut non sicut a brutis animalibus fit, serviatur carnis voluptati, sed Dei voluntati, qui posteriorum propagationem hac lege instituit. S. August. enarratione in Ps. CXLVII. ita Paulum explicat: *Quisquis etsi habet uxorem, quem propter infirmitatem duxit, plangens potius, quod sine uxore esse non potuit, quam gaudens, quia duxit, hic habens uxorem tamquam non habens*. Denique apostoli mens hæc est, ut conjuges non magnopere rei uxoriæ afficiantur, ut animum atque amorem magis in Domino, quam in uxoribus defigant, ut explicat D. Ambrosius et Anselmus.

Secundum est in servitute, qua alter alteri strictus est, ut non ad tam suam quam alterius voluntatem cogatur, v. g. unus vellet ad templum ire, alter prohibet et jubet domi manere vel aliud agere. Unus vellet peregrinari, alter repugnat: unus cupit in hac civitate vel regione habitare, alter vult in alia potius regione, eoque conjugem trahit etiam nolentem, non secus ac mancipium alligatum alteri mancipio. Unde apost. I. Cor. VII. *Alligatus es uxori*, ait ad virum et mox de muliere subdit: *Mulier alligata est legi*. Sicut servus nimirum servo, quod etiam ut exponit S. Hieron. contra Jovinian. ibi notat apost. cum ait: *Servus vocatus es? Nam: Qui uxorem habet, inquit, et debitor dicitur, et servus uxoris, et quod malorum servorum est alligatus*.

Bene proinde Metellus offerenti sibi Mario filiam forma, opibus, genere præstantem respondit: *« Probo equidem hæc omnia, sed malo esse meus, quam suus. »* Cui Marius: *« Imo ipsa erit tua. »* At ille: *« Mos alius est: virum uxoris esse oportet, si diu cum uxore vult esse. »* Porro: *« Qui cum uxore est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro, »* addit ibid. S. Paulus. Qua ratione cogitationes ergo suas convertere ad Deum possint, si de conjugate ipsis cogitandum est? Quomodo se conformare Dei voluntati, qui conjugis voluntatem sequi coguntur? Quis hic modus se extricandi ex hoc labyrintho.

Filium iterum porrigit S. Paulus cit. loc. cum ait: *Servus vocatus es? Non sit tibi cura*, q. d. non te ex crucia, quasi in matrimonio pie vivere et salutem assequi nequeas, ut exponit S. Hier. in apol. contra Jovin. ex Origine, I. I. in ep. ad Rom. Quo enim modo servus comparare sibi salutem in servitute sua potest, eodem et tu potes. Monet porro idem apost. ad Eph. VI. servos, ut servant dominis suis sicut Christo. Ita etiam conjux cogitet se Christo in conjugate obstructum esse, ut voluntati ejus obtemperet, dum honesta imperat. Qui enim præcepit tibi, ut conjugis imperio pareas, idem acceptum habebit tuum obsequium, ac ipsi impendisses. Clare hoc ipsum Paulus ad Eph. V. mandat, imprimis mulieribus: *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, nimirum: In viris suis considerantes Christum Dominum, qui est caput et sponsus Ecclesiæ, inquit Estius. Habent igitur ad cœlum expeditam vitam: Christum uxores intueantur in maritis suis. Similiter et viri in uxoribus suis. Idem enim Deus dixit Abrahamo: Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus, Gen. XXI. Cum nimirum justa, quæ ipsis debentur, et salutaria petunt, v. g. ut mariti ludis abstineant, domi res suas curent, bona non dilapident, Deum timeant: Deum enim tunc monentem se audire credant.*

Tertium est prægravibus matrimonii oneribus, in educenda, alenda, elocanda prole: in conjugis vitia tolerando: et in familia gubernanda: in afflictionibus sustinendis, in crucis et molestiis quotidianis, quasi ipsis per experientiam melius intelligent, quam explicat eis possit. Quæ omnia non paucos etiam cordatos absteruerunt a nuptiis, vel ob contractas dolores pertulerunt. Phoroneus Argivorum a thesauris nominatissimus rex die, qua decessit, Leontio fratri suo dixit: *Nihil mihi defuisset ad plenam felicitatem si defuisset uxor*. Leontio causam quæ-

renti: *« Sciunt hoc omnes mariti, »* inquit, Brus. I. VII. c. XXII. Democritus ille philosophus Abderitanus, eujuscumque fortunæ derisor, interrogatus, cur ipse homo proceræ staturæ tam parvam duxisset uxorem? *Ego*, inquit, *in malo eligendo, quod minimum erat, elegi*, Anton. p. II. meliss. p. XXXIV. Non absimile responsum dedit Thomas Morus Angliæ cancellarius sapientissimus, cum rogatus cur tam humilem statura uxorem elegisset, respondit: *Quia e duobus malis minimum eligendum putavi*, Staplet. in vita, c. XIII. Utique hæc illos propter innumeras miseras, quas secum adferunt uxores, dixisse credendum est. Nam ut ait S. Gregorius, I. XXVI. moral. c. XXI. *« Bonum est conjugium, sed mala sunt, quæ circa illud ex hujusmodi cura succrescunt. Dum ergo tenetur, quod non nocet, et rebus juxta positis committitur plerumque quod non nocet: sicut sæpe recte mundumque iter pergitur et tamen ortis juxta viam vepribus per vestimenta retinemur; ita via quidem munda non offenditur, sed a latere nascitur, quo oppugnamur. »*

Sed quod huic periculo remedium? Nihil melius meo judicio, quam fortis et constans animus ad exedendum, quod quisque sibi intrivit, et ferendam crucem, quam sibi quisque imposuit, ad trahendum currum, tametsi quandoque inversus fuerit. Hoc enim prædixit eis apost. I. Corint. VII. cum dixit: *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi*. Quodque mirum est, prædixerunt etiam gentilibus novis nuptis. Refert enim Plutarchus, in præcept. conjug. Lepiti, quæ Africae civitas est, moris fuisse patrii, ut postridie nuptiarum sponsa ad soerum mitteret petiolum ollam: illam vero negasse et quidem cum convicio ut ita novecalem soerus animum initio statim sponsa experta, non ferret iniquo animo, si quid ei postmodum asperius contingeret. Quamobrem quicumque uxorem ducere cogitat, sibi dictum illud existimet, quod ad numellas Ingotstadianas inscriptum memini me legisse: *Sustine aut abstine*. Seu quod Vasso in Menippo dixit: *Vitium uxoris aut tollendum aut ferendum est*. Denique notandum, quod S. Chrys. ho. XV. ex variis de decollat. S. Jo. scribit: *« Quisquis habet mulierem malam, cogitet quoniam iniquitatum suarum portat mercedem. »* Ita affectus erat Tobias senior, cum uxoris improprium inter alias calamitates audiret. Ingemiscens enim precatus est cum lacrymis: *Justus es Domine, et omnia judicia tua justa sunt*, Tob. III. legitur. *Quando morbi vexabunt*, inquit S. Hilarius, in Ps. CXVIII. *passiones et cruciatus corporum desævient, luctus et orbitates affligent, semper utamur hac voce*

*dicentes: Justus es Domine, et rectum judicium tuum*. Hoc filo, vos neonymphi, labyrinthum evadatis quin et Minotaurum dæmonem, qui matrimonio insidiatur, Asmodæum, inquam, non minus superabitis, quam Tobias junior, qui duce Raphaelæ abiit in Mediam, indeque ad patriam rediit salvus et incolumis, auctus divite conjugio; quod et vobis precor, ut e conjugii labyrintho evadatis in patriam cœlestem.

## CONCIO XII.

SPONSO OFFERTUR PECTEN, SPONSÆ VERO SPECULUM, PAPA BONIFACII V.

Pro antiqua omnium fere nationum consuetudine solent novis nuptiis offerri quædam munuscula, sive pecuniaria sive suppellectilia. Quidni et ego quoque, nisi inurbanus sim, depromere et offerre ipsis debebo apophoretum aliquid? Et quod illud? Quale Bonifacius V. papa misit Edelburgi, Eduini, Angliæ regis, conjugii, cum his verbis claudens epistolam suam: *Benedictionem etiam protectoris nostri B. Petri ad vos direxerimus, speculum scilicet argenteum et pectinem eburneum inauratum*. Ita refert Ven. Beda in Ang. hist. lib. II. anno 625. Surlius in vita S. Paulini Eborac. episcopi. 10. oct. procul dubio non absque causa et mysterio. Meo quidem judicio voluit instruere neophytum regem per pectinem, conscientiam nimirum examen quotidie adhibendum: reginam vero per speculum, pulcherrimum scilicet virtutis exemplum, quo ipsa moneretur, ut neophyto marito talia virtutum exempla præberet, quibus ipse vitam suam ad ipsius normam posset componere. Non absimili de causa vobis hoc donum offero: sponso, ut utatur pectine, (hic enim viris magis quam mulieribus convenit) sponsæ, ut adhibeat speculum (hoc enim mulieribus potius quam viris competit) non tam ad se contuendam, quam ad vitam suam suorumque familiarium recte instituendam. Antiqua Romanorum acclamatio novis nuptis data fuit: *Tu sponsa sis Caius*, hoc est, bonus paterfamilias. Tu sponsa sis *Caia*, hoc est, bona materfamilias. Hoc idem vobis precor, et discite sponsæ e pectine, sponsa vero e speculo.

I. Bonus paterfamilias suum ipse capillum pectat, ut præeat familiæ suæ bono exemplo, (solent enim mares semetipsos pectere; mulieres ab aliis comuntur.) Ratio est, quia maritus totius domus caput est: quem subditi nec audent facile admonere, nec possunt, cum rudiores fere sint. Sibi dictum existimet, quod Tito